

/ Illustrissime, et Reverendissime Domine. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Nuncius de electione Illustrissimae, et Reverendissimae D.V. laetificavit universam civitatem Dei. Dolebamus oppressionem nobilis ecclesiae Bambergensis; 5 et cum non succurreret aptum remedium, a Domino auxilium precabamur; sed pius Dominus fecit superabundantius, quam petere, aut intelligere poteramus. Superest nunc, qui coepit in vobis opus bonum, ipse perficiat, et per vos ecclesia Bambergensis gloriam suam in praesenti recipiat, ut et vos in die Domini immarcescibilem 10 gloriae coronam a principe pastorum recipiatis. Quod vero attinet ad celerem expeditionem, et expensarum condonationem, aut imminutionem; egi diligenter cum Sanctissimo Patre nostro Paulo Quinto Summo Pontifice, cum capitibus ordinum sacri collegii, et quidem celerem expeditionem Summus Pontifex mihi certo promisit, et iam 15 re ipsa praestitit in consistorio huius diei. De expensis non certo scio quid fiet; sed hoc vere affirmare possum, nihil a me esse omissum, quod ad persuadendum pertinere posse mihi videretur. His opto valeat in Domino Illustrissima Amplitudo vestra, et opera mea, quando utilis esse videbitur, libere utatur. Romae die 4 20 novembris 1609.